



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 1. Utrùm Christus, ut homo, sanctus sit sanctitate substantiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

non prævidit absolutè peccata actualia in se, sed ea absolutè prævidit in radice, nempe in rebellionem concupiscentiæ, transfundenda in posteros Adami. R. ita esse: sed inde sequitur tantum incarnationem decretam esse non solum propter peccatum originale, sed etiam propter actualia impedienda, vel tollenda, adeoque Christum venisse non solum propter peccatum originale, sed etiam propter actualia impedienda, vel tollenda; quod verum est.

At inquit. Inde sequitur, incarnationem decretam esse, & Christum venisse tam principaliter propter peccata actualia tollenda vel impedienda, quam propter originale. R. neg. *Observa.* 1. Deus prævidit absolutè peccatum Adami, ut capitis morales posterorum, & in posteris debitum contrahendi peccati illius maculam, quæ secundum nos, ex parte consistit in rebellionem concupiscentiæ, ex qua necessariò necessitate morali secutura erant peccata actualia, nisi impediuntur. 2. Decevit Christum primariò quidem ad impediendam peccati originalis transfusionem, vel ad illud transfusum tollendum; secundariò verò ad impedienda, vel tollenda actualia, morali necessitate secutura ex concupiscentiæ rebellionem, si non impediuntur. 3. Ex meritis Christi absolutè prævisis auxilia idonea ad vitanda peccata actualia omnia hominibus præparavit, non pro uno & eodem signo rationis, sed pro aliis atque aliis, pro quibus alii atque alii homines determinatè extituri fuerunt.

Christus igitur ut perfectus Redemptor decretus fuit propter originale in se prævisum, & propter actualia in radice prævisa: decretus fuit primariò & principaliter propter originale tollendum; & secundariò propter actualia impedienda, vel, si admitterentur, tollenda. Prævisio Adami peccato, Christus cum suis meritis statim efficaciter voluit est ad tollendum peccatum illud; sed quia ita voluit Deus peccatum originale propter Christum tollere, ut tamen rebellionem concupiscentiæ ex eo ortam manere voluerit in hominibus, sive regenerarentur, sive non, Christus secundariò, & quasi ex incidenti, fuit etiam voluit propter actualia ex infausta illa radice pullulatura.

Christus igitur ut perfectus Redemptor, venit non solum propter originale, sed etiam propter actualia, propter originale primariò; secundariò & ex incidenti propter actualia; venit propter originale impediendum in beata Virgine, & tollendum in cæteris hominibus, quamquam non in omnibus tollatur, ob negligentiam, vel malitiam hominum; & ad actualia, impedienda vel tollenda, quamquam non omnia impediuntur, nec omnia admissa deleantur, propter absum gratiarum; venit, inquam, sic tamen ut vi præsentis decreti venire potuerit propter originale, & actualia efficaciter impedienda, quare vi præsentis decreti venisset Christus, etiam si neque peccatum Adami ad ullum ex ejus posteris transfusum fuisset, neque ullum actuale peccatum fuisset admissum.

Quæres 4. utrum Christus vi præsentis decreti venturus fuisset, si peccatum originale non esset?

R. Christum vi præsentis decreti venturum non fuisse, si Adamus non peccasset, ut caput humani generis, adeoque si sola essent peccata actualia, sive venialia, sive mortalia, etiam si essent in omnibus naturæ individuis.

Prob. Nam deficiente primariò motivo decreti incarnationis, non esset illud decretum, proindeque nec esset incarnatio vi illius decreti. Atqui in hypothesis facta, primarium motivum præsentis decreti incarnationis deficeret; motivum enim illud fuit remedium peccati originalis, remedium verò actualium fuit tantum motivum secundarium, & quasi ex incidenti: unde canit Ecclesia: *O certè necessarium Ade peccatum, quod Christi morte delendum erat!* Ergo tunc non esset præsentis decretum incarnationis, atque adeo nec esset incarnatio vi præsentis decreti.

Simonnet Theol. Form. II.

Dices. Si in omnibus, aut ferè omnibus hominibus essent peccata actualia, quamvis sine originali, fuisset necessitas redemptionis humani generis, ut nunc est. Ergo adhuc fuisset incarnatio. R. neg. conseq. Nam fuisset quidem necessitas redemptionis humani generis, sed non illius propter quam principaliter decreta est incarnatio: Deus enim Christum principaliter decrevit propter redemptionem humani generis à peccato originali.

Dices. Apostolus ad Galat, cap. 2. ait de Christo: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* R. sic loqui Apostolum, non ut significet, Christum ita venisse, & mortuum esse pro salute singulorum, ut venturus, & moriturus fuerit etiam pro salute cujuslibet hominis particularis; sed ut significet, incarnationem ita decretam fuisse, & mortem à Christo toleratam pro salute omnium simul, ut tamen singulis proficit, vel saltem prodesse possint incarnatio & mors Christi, perinde ac si Christus pro singulis in particulari venisset, & mortuus esset.

DISPUTATIO VII.

De gratia, de defectibus, & passionibus Christi.

ARTICULUS I.

Utrum Christus ut homo, sanctus sit sanctitate substantiali.

RESPONSIO I.

Christus ut homo, sanctus est sanctitate substantiali, propter unionem hypostaticam humanitatis cum Verbo.

Prob. 1. Nam humanitas Christi unita est Verbo formaliter, hoc ipso quod ei unita est hypostaticè. Ergo humanitas Christi sanctificata est Verbo formaliter, hoc ipso, &c. Conseq. patet. Nam hic unctio & sanctificatio sunt unum & idem. Prob. ant. 1. auctoritate Scripturæ: nam Psalmo 44. ad Christum diriguntur hæc verba: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, (hoc est, præ omnibus Angelis, & hominibus sanctis:) Christus enim hic dicitur unctus præ omnibus aliis sanctis, non solum propter majorem sanctitatem accidentalem, in majori gratia habituali positam, sed etiam & maxime propter sanctitatem substantialem, quam habet à divinitate Verbi, & qua cæteri omnibus sanctis, tam Angelis, quam hominibus infinite excellit: Christus igitur ex Scriptura, secundum humanitatem, ipsa Verbi divinitate, mediante unione hypostatica, formaliter unctus fuit.

2. Ex Patribus, pro quibus omnibus hic erunt Gregorius Nazianzenus in oratione quarta de Theologia, ubi de Filio Dei incarnato ait: *Christus verò (apelatur) propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, non actus, ut in aliis, qui christi occupantur, sanctificans, sed totius unctionis presentia.* Et in oratione 2. in Pascha de eodem dicit: *Perfectus autem non modo propter divinitatem, quæ nihil perfectius, sed etiam propter divinitatem, divinitate delibutus.*

Sanctus Agustinus, lib. 15. de Trinitate cap. 26. ubi hæc habet: *Manifestius de illo (Christo) scriptum est in Actibus Apostolorum. Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto, non utique oleo visibili, sed dono gratiæ. . . . nec sanè tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. . . . sed ista mystica & invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura; sine ullis precedentibus bonorum operum meritis;*

L. 3. Dei

Dei Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona.

Et sanctus Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 3. Christi porro, inquit, vocabulum persone esse dicimus, ut quod non unimode dicatur, sed duplicem naturam significet. Ipse etenim se ipsum unxit, corpus videlicet divinitate sua ungens ut Deus; unctus autem ut homo, quandoquidem ipse & hoc & illud est. Ut porro humanitas est divinitas. Ergo, &c.

Prob. 2. Nam illud est forma, aut quasi forma sanctificans humanitatem Christi, quo formaliter humanitas Christi fit particeps esse divini redditur grata Deo, & sufficienter proportionata ad terminandam supernaturalem Dei amicitiam, jus habet ad æternam beatitudinem, & efficitur impeccabilis. Atqui tale est Verbum respectu humanitatis, hoc ipso præcisè quod est ei unitum hypostaticè: hoc ipso enim se ipsum formaliter etiam physice communicat humanitati, & humanitas Christi, propter Verbum sibi formaliter communicatum physice modo illo specialissimo, est Deo gratissima, ad terminandam supernaturalem Dei amicitiam maximè proportionata; item habet jus ad æternam beatitudinem in frustrabile, & est necessariò expers omni peccati, imò & impeccabilis. Ergo revera Verbum, unitum hypostaticè humanitati, est illius forma, vel quasi forma sanctificans, & humanitas formaliter ac immediatè ipso Verbo sanctificatur, adeoque sancta est sanctitate substantiali propter hypostaticam sui unionem cum Verbo.

Obj. 1. Si Verbum uniretur hypostaticè naturæ irrationali, non redderet illam sanctam. Ergo nec sanctam reddit naturam irrationalem, quam assumpsit. *R. neg. conseq.* Nam si Verbum naturam rationalem assumeret, non redderet illam sanctam ea sanctitate, quam dicimus illud tribuere naturæ rationali, quam assumpsit; non quia verbum hypostaticè unitum, naturam non est sanctitatem illam tribuere, sed quia sanctitatis illius incapax est natura irrationalis: irrationalis enim natura non potest esse grata Deo, ut improporcionata ad terminandam amicitiam divinam, & ut incapax æternæ beatitudinis &c. Sanctificaretur tamen à Verbo, alio sanctitatis genere, cuius nimirum capax est, & quæ reperitur in rebus Deo specialiter dicatis, qualia sunt vasa sacra; arque repta est in corpore Christi in mortis triduo, propter unionem ejus cum Verbo, etiam pro eo tempore perseverantem.

Obj. 2. Licet omnia attributa divina humanitati assumptæ unita sint, non tamen effectum suum formalem ei communicant: nam intellectus divina non facit humanitatem intelligentem, nec volitio volentem, nec immensitas immensam, nec omnipotentia omnipotentem, &c. Ergo quamvis sanctitas divina unita sit humanitati assumptæ, non ideo reddit eam sanctam substantialiter.

R. neg. conseq. 1. itaque intellectio, & volitio divina, humanitatem, cui uniuntur in Verbo, non faciunt intelligentem, & volentem, quia sunt actus vitales; & actus vitalis effectum formalem sibi proprium tribuit soli principio vitali, à quo realiter, vel virtualiter procedit.

2. Immensitas divina humanitatem, cui unitur in Verbo, non facit immensam, quia non eo ipso, quod ei unitur, extendit eam ad omnia loca, vel eam formaliter replicat in omnibus locis. 3. Omnipotentia divina humanitatem, cui unitur in Verbo, non facit omnipotentem, quia potentia effectum formalem sibi proprium non tribuit, seu non facit posse, nisi illud, cui intrinseca est, vel per identitatem, vel per informationem, vel per compositionem ut supposito.

4. Humanitas tamen, unita Verbo, sanctificatur substantialiter per sanctitatem Verbi, & omnia alia ejus attributa, quia supposita unione hypostatica, omnia Verbi attributa se habent per modum formæ, formaliter & immediatè humanitati tribuentis effectus omnes formales sanctitatis, hoc ipso, quod supposita unione hypostatica, per illa formaliter &

immediatè participat humanitas esse divinum modo excellentissimo, & longè excellentiori, quam participetur per gratiam habituales inhaerentem.

Obj. 3. Si natura humana uniretur Angelo sancto, non ideo sanctificaretur ab Angelo. Ergo nec sanctificatur à Verbo, quamvis sit ei unita. *R. neg. conseq.* Disparitas est, quia humanitas Christi, hoc ipso quod unitur hypostaticè Verbo, per illud formaliter & immediatè participat esse divinum modo excellentissimo. At natura humana, Angelo sancto unita, non hoc ipso esse divinum participaret, quia gratia habitualis, qua natura angelica esset sancta, non esset participatio esse divini, nisi subiecto suo inhaerentis, & subiecto denominationis, ad quod subiectum inhaerentis pertineret. Sed ad huius solutionis intelligentiam.

Nota. Si natura humana uniretur naturæ angelicæ, dato quod hæc unio sit possibilis, nec natura humana respectu angelicæ, nec natura angelica respectu humanæ suppositi rationem haberet, quia neutra haberet rationem totius, sed ex utraque, velut partibus; resultaret aliquod tertium, quod esset totum, ac proinde suppositum respectu utriusque: unde accidentia unius naturæ putæ angelicæ, effectus suos formales huic naturæ immediatè tribuerent, & ea mediante, supposito illius, nullatenus verò alteri naturæ: accidentia enim unius partis effectus suos formales alteri compati non tribuunt, sed immediatè tribuunt soli parti, cujus sunt accidentia, & ea mediante, soli toti, cujus est pars illa. In facta igitur hypothese, sanctitas, naturæ angelicæ inherens, non redderet sanctam naturam humanam, angelicæ unitam, sed immediatè solam naturam angelicam, & ea mediante, solam utriusque naturæ suppositum.

Faciendum tamen est, quod ex conjunctione & consortio naturæ angelicæ, refundetur in naturam humanam dignitas aliqua moralis, & honorabilitas, vel, si vis co-honorabilitas. Ratio est, quia suppositum utriusque naturæ, propter specialem naturæ angelicæ excellentiam, dignum esset speciali honore, in cuius communionem necessariò veniret natura humana, quia cultus & honor qui exhibetur supposito, ad ipsum totum, & omnes ejus partes indivisibiliter terminatur.

Præterea, ex sanctitate naturæ angelicæ resultaret amabilitas aliqua, vel si vis, aliqua coamabilitas in naturam humanam, (nisi tamen ipsa obstarer per malitiam propriam, posset enim peccare, & esse in statu peccati habitualis.) Ratio est, quia sicut homo totus, secundum corpus scilicet & animam, amari potest, & amatur v. g. propter sapientiam, quæ residet in sola anima; ita in facta hypothese suppositum utriusque naturæ, totum & secundum utramque naturam amari posset, & amaretur à Deo propter sanctitatem residentem in sola natura angelica.

Obj. 4. Si humanitas Christi formaliter sancta est per Verbum, cui unitur hypostaticè, non est una, sed duplex causa formalis sanctitatis. Consequens repugnat Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. definienti, unicam esse causam formalem nostræ justificationis. Ergo, &c. *R. neg. min.* Nam Concilium loco laudato loquitur tantum de causa formali justificationis puri hominis, quam unicam, eamque nobis adequatè intrinsecam esse, definivit contra hæreticos, docentes nos justos esse, & Deo gratos partim per justiciam nobis inhaerentem, partim per justiciam Christi, nobis à Deo extrinsecè imputatam.

RESPONSIO II.

Sanctitas substantialis, quam humanitati Christi se ipso formaliter & immediatè confert Verbum, est infinita simpliciter in genere sanctitatis participatæ.

Prob. Illud est infinitum simpliciter in aliquo genere, quod in eo superat alia perfectiora & perfectiora in infinitum, ipsum verò ab alio in eodem genere nec supe-

superatur nec superari potest. Atqui sanctificatio humanitatis Christi per Verbum, superat sanctificationes alias perfectiores & perfectiores in infinitum, per gratias habituales perfectiores & perfectiores in infinitum factas; ipsa verò à nulla alia superatur, aut superari potest in genere sanctificationis participatæ. Ergo sanctificatio humanitatis per Verbum, in genere sanctificationis participatæ, simpliciter infinita est, adeoque, quod idem est, sanctitas substantialis, quam humanitati Christi se ipso formaliter & immediate Verbum confert, est, &c.

Confirm. 1. Humanitas Christi magis sanctificatur per Verbum, sibi hypostaticè unitum, quam sanctificaretur per gratiam habitualement, infinitè simpliciter intensam: negari enim non potest, Verbum vim majorem habere ad sanctificandam humanitatem, sibi unitam, quam haberet gratia habitualis infinitè intensam. Atqui humanitas Christi per gratiam habitualement, infinitè intensam, infinitè simpliciter sanctificaretur in genere sanctificationis participatæ. Ergo à fortiori, in eodem genere per Verbum sibi unitum, sanctificatur infinitè simpliciter.

Confirm. 2. Anima (rationalis scilicet, peccati expers) sancta est quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quod per unionem habet gratiam habitualement: quia eo ipso per unionem habet esse divinum imitativum; & anima sancta esset infinitè simpliciter, quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quod per unionem haberet gratiam habitualement, infinitè intensam, quis eo ipso per unionem haberet infinitum simpliciter esse divinum imitativum. Ergo similiter humanitas Christi sancta est, quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quod per unionem secum habet Verbum, quia eo ipso per unionem secum habet ipsum esse divinum; & sancta est infinitè simpliciter, quoad omnes effectus sanctitatis, eo ipso quod per unionem secum habet ipsum Verbum; qui eo ipso per unionem secum habet, non aliquam esse divini imitationem, & participationem, sed ipsum esse divinum, quod plus valet ad sanctificandum, quam imitationes & participationes ipsius perfectiores & perfectiores in infinitum, ut per se clarum videtur.

Obj. 1. Humanitas Christi non est immensa, eo ipso quod per unionem secum habet immensitatem divinam. Ergo non est sancta eo ipso quod per unionem secum habet sanctitatem Verbi. *R. neg. conf.* Disparitas est, quia ut sanctitas Verbi cum aliis ejus attributis humanitatem Christi sanctificet, etiam infinitè simpliciter in genere sanctificationis participatæ, satis est, quod Verbum sit illi per unionem realem ac physicam præsens: nam eo ipso humanitas non solum habet esse divinum per participationem, sed etiam omnes alios effectus formales, quos, & quantos ipsum esse divinum per participationem habuit, natum est tribuere omni naturæ rationali. At ad hoc, ut immensitas divina, ut sic loquar, immensiter, non sufficit, quod sit præsens per unionem etiam realem & physicam, sed requiritur, ut habeatur per identitatem, quia res non nisi per se ipsam immensa esse potest, sicut non nisi per se ipsam potest esse extensa: nam immensitas est purus modus se habenti extensionis, & res quælibet est essentialiter extensa per entitatem suam.

Obj. 2. Humanitas Christi, ut unita Verbo, sancta est per participationem tantum: habet enim tantum per participationem sanctitatem Verbi. Ergo ut unita Verbo, non est infinitè simpliciter sancta. *R. humanitatem Christi, ut unitam Verbo, sanctam esse per participationem tantum, eo solum sensu, quod non sit sancta à se & per se, sed per aliud ab ipsa realiter distinctum, eique contingenter superadditum, & habere sanctitatem Verbi cum aliis attributis divinis per participationem tantum, eo solum sensu, quod non habeat illa per identitatem, sed per unionem contingentem: unde sequitur tantum, quod non sit summè sancta, & in supremo genere sanctificationis, sed in inferiore, nempe in genere sanctificationis participatæ; in quo genere nihilominus in-*

finite simpliciter sanctificatur per ipsum esse divinum, quod per unionem hypostaticam participat, quia per illud in hoc genere plus sanctificatur, quam sanctificaretur per gratiam habitualement intensiorem & intensiorem in infinitum, imò, quam sanctificaretur per gratiam habitualement infinitè simpliciter intensam; atque insuper tam perfectè sanctificetur per esse divinum, ut nulla alia creatura per illud sanctificari possit perfectius, quia nimirum esse divinum tam perfectè participat, ut à nulla alia creatura possit perfectius participari.

At inquires. Si natura angelica uniretur hypostaticè Verbo, perfectius ei uniretur, quam humanitas Christi. Ergo in genere sanctificationis participatæ, magis per Verbum sanctificaretur: quam humanitas Christi, quæ proinde gratis dicitur infinitè simpliciter per Verbum sanctificari in genere sanctificationis participatæ. *R.* unionem hypostaticam naturæ angelicæ cum Verbo fore perfectiorem materialiter, quia natura angelica Verbo per entitatem perfectiorem uniretur; at non fore perfectiorem formaliter, & in ratione unionis, quia natura angelica per unionem hypostaticam non conjungeretur cum Verbo arctius, & intimius, quam humanitas Christi, sicque Verbum non possideret plenius ac perfectius, quam Christi humanitas, adeoque nec magis sanctificaretur per Verbum.

Obj. 3. Sanctitas Verbi non potest infinitè sanctificare, nisi habeatur per identitatem. Ergo non sanctificat infinitè humanitatem Christi, à qua habetur per unionem tantum. *R. neg. ant.* Nam gratia sanctificans, infinitè intensa, infinitè sanctificaret, licet non per identitatem, sed solum per unionem haberetur: quidni ergo pariter sanctitas Verbi cum aliis ejus attributis vim habeat infinitè sanctificandi humanitatem Christi, licet ab ea, non per identitatem, sed solum per unionem habeatur?

At inquires. Si Verbi sanctitas vim habeat infinitè sanctificandi, etiam si habeatur per unionem tantum, per eam humanitas Christi tam sancta est, quam ipsum Verbum. Falsum conseq. Ergo & ant. *R. neg. seq. maj.* Ratio negandi est, quia sanctitas Verbi, habita solum per unionem, non habetur optimo modo: quo haberi potest, cum possit haberi per identitatem, unde habita solum per unionem, non sanctificat tantum, quantum ex se nata est sanctificare: hinc humanitatem Christi solum sanctificat in genere sanctificationis participatæ, quia ab humanitate Christi habetur solum per unionem; adeoque non habetur optimo modo, quo haberi potest.

Porro summè sanctificat Verbum, & in supremo genere sanctificationis, quia ab eo habetur per identitatem, adeoque habetur optimo modo, quo potest haberi; unde tantum illud sanctificat, quantum nata est sanctificare. Aliud est de gratia habituali, quæ aliter haberi non potest, quam per unionem: unde cum per unionem habetur, optimo modo habetur, quo haberi potest: quare sic habita, tantum sanctificat, quantum ex se nata est sanctificare. Sed de præsentis difficultate adhuc infra. Interea ex dictis.

Observa. 1. Humanitatem Christi pulchriorem esse & amabiliorem Deo, quam creaturas rationales alias, pulchriores ac pulchriores, & amabiliores ac amabiliores Deo in infinitum, per gratiam scilicet habitualement, majorem ac majorem in infinitum: pulchritudo enim & amabilitas humanitatis Christi commensuratur sanctitati ejus substantiali, quæ sanctior efficitur, quam creaturæ rationales aliæ sanctiores ac sanctiores in infinitum per gratiam habitualement, perfectiorem ac perfectiorem in infinitum, imò quam creaturæ rationales aliæ, sanctæ infinitè simpliciter per gratiam habitualement infinitè intensam.

2. Humanitatem Christi proportionatam esse ad terminandum super naturalem Dei amorem, appreciativum ipsius humanitatis supra creaturas alias rationales, sanctiores ac sanctiores in infinitum per gratiam habitualement, majorem ac majorem in infinitum, imò & supra creaturas alias rationales, san-

Etas infinitè per infinitam habitalem gratiam: nam appreciabilis creaturæ sanctæ, relatè ad Deum supernaturali amore amicitiæ diligenter, commensuratur sanctitati creaturæ illius.

3. Humanitatem Christi habere exigentiam superioris ordinis, supremo tamen Dei dominio subordinatam ad habitus supernaturales perfectiores ac perfectiores in infinitum; item habere acceptabilitatem, vel, si vis, ius superioris ordinis, sed subordinatum supremo dominio Dei, ad visionem Dei, intuitivam, perfectiorem ac perfectiorem in infinitum: item habere puritatem & impeccabilitatem simpliciter infinitam in genere puritatis & impeccabilitatis participatæ. Ratio est, quia hæc omnia sunt effectus formales sanctitatis substantialis, quam habet humanitas Christi per Verbum, sibi hypostaticè unitum, & cui proinde commensuratur. Est autem, ut probatum est, simpliciter infinita in genere sanctitatis participatæ. Ergo, &c. Sed ex occasione difficultatis ultimo loco propositæ, sit

RESPONSIO III.

Humanitas Christi per sanctitatem etiam substantialiter, quam habet à Verbo formaliter & immediatè, non est tam sancta, quàm ipsum Verbum.

Prob. Nam Verbum sanctum est per se & essentialiter; pulchrum & amabile, operativum actuum divinorum, & beatum per essentiam; dignum amore summo & super omnia absolutè; secundum se & per essentiam impeccabile. Atqui horum nihil habet humanitas Christi, etiam ut per Verbum formaliter & immediatè sanctificata; nam 1. non est sancta per se & essentialiter, sed tantum per aliud, & contingenter. 2. Non est sancta necessariò & per essentiam, sed tantum per unionem, qua possit non esse. 3. Non est pulchra, & amabilis, operativa actuum divinorum, & beata per essentiam, sed solum per participationem. 4. Non est digna amore super omnia simpliciter & absolutè; nam v.g. amabilior non est humanitate alià unita hypostaticè cum persona aliqua divina, sed solum digna est amore super omnia secundum quid, seu super omnia creata alià, non sanctificata eadem substantialiter sanctitate Dei.

Obj. 1. Humanitas Christi per illud idem sancta est substantialiter, per quod sanctum est Verbum. Ergo. &c. *R. neg. cons.* Ratio est, quia illud idem, per quod utrumque sanctum est, non communicatur utrique eodem modo: divinitas enim, quæ est illud idem, per quod utrumque sanctum est, communicatur Verbo modo excellentissimo, nempe per identitatem perfectissimam; unde illud summè sanctificat; humanitati verò communicatur modo inferiori, nempe per unionem tantum; unde illam non sanctificat summè, & in supremo genere sanctificationis, sed in inferiore, nempe in genere sanctificationis participatæ.

Obj. 2. Humanitas Christi tam amabilis est, quàm ipsum Verbum. Ergo, &c. *Neg. ant. Probabis.* Humanitas Christi amabilis est propter eandem bonitatem, propter quam Verbum est amabile, nempe propter bonitatem Dei. Ergo, &c. *R. neg. conseq.* Ratio negandi est, quia bonitas Dei, propter quam humanitas Christi & Verbum sunt amabilia, non tam bona est humanitati Christi, quàm Verbo, eò quòd excellentiori modo communicat se Verbo, quàm humanitati Christi. Bonitas autem, excellentiori modo communicata, melius, & amabilius efficit id, cui sic communicatur, ut per se clarum est.

Dices. Deus eodem indivisibiliter actu diligit totum Christum, seu Verbum, & humanitatem ejus, & amor ille summus est, & super omnia absolutè. Ergo humanitas Verbi à Deo summè amatur & super omnia absolutè. Ergo tam amatur à Deo, adeòque tam amabilis est, quàm ipsum Verbum. *R. neg. utramque conseq.* Ratio negandi est, quia idem ille indivisibilis actus, quo totus Christus amatur à Deo, non terminatur æqualiter ad Verbum & ad humanitatem ejus, sed est summus & super omnia

absolutè respectu Verbi, minor verò respectu humanitatis: sicut idem indivisibilis actus, quo Deus diligit creaturas propter bonitatem suam, non fertur æqualiter ad bonitatem Dei, & ad creaturas, sed est summus respectu bonitatis Dei, minor verò respectu creaturarum.

Dices iterum. Quando adoratur Christus propter excellentiam Verbi, eadem & æqualis adoratio supremæ latitæ terminatur ad Verbum & ad humanitatem ejus. Ergo quando amatur à Deo totus Christus propter bonitatem Verbi, idem & æqualis amor summus terminatur ad Verbum & humanitatem ejus. *Resp. neg. consequent.* Disparitas est, quia adoratio est cultus exterior, qui toti supposito indivisibiliter redditur: nam cultum exteriorem, quem exhibemus alicui personæ, non possumus ita parti, ut illius tantum ad animam v.g. tantum verò ad corpus terminetur; unde cum honoris causa asurgimus alicui personæ, toti personæ asurgimus.

Itaque cum adoratur Christus adoratione supremæ latitæ, hæc adoratio indivisibiliter terminatur ad totum Christum, adeòque ad Verbum & ejus humanitatem, quæ est aliquid substantiale, Verbum integrans in ratione suppositi subsistentis in duplici natura, divina & humana: sed sic terminatur indivisibiliter ad Verbum & humanitatem ejus, ut ad Verbum propter se, & ad humanitatem propter ipsum Verbum terminetur: quando enim adoro Christum adoratione supremæ latitæ ita Verbo & humanitati ejus volo eundem indivisibiliter cultum externum exhibere, ut tamen cultum illum exhibere velim utrique propter solam Verbi excellentiam, adeòque Verbo propter se, & humanitati propter Verbum: unde sic affectus adorandi ex parte rei volitæ, æqualis est respectu Verbi & humanitatis ejus, ut ex parte modi volendi sit inæqualis: quare cum adoro Christum, Verbum adorari, & humanitas ejus coadorari dicitur.

Similiter amor quo Deus diligit totum Christum, inæqualis est respectu Verbi & humanitatis ejus. Amor enim est affectus interior, ad bonum tendens, ac proinde magis tendens ad id, quod bonum magis est, minus verò ad id, quod minus est bonum, & ita æqualiter tendens ad ea, quæ inæqualiter bonitatem ad amandum moventem participant. Sic v.g. idem amor, quo Deus indivisibiliter totum hominem justum diligit propter gratiam habitalem, fertur inæqualiter ad corpus & animam illius iusti. Major enim est respectu animæ, & minor respectu corporis, quia gratia habitualis magis animam perficit, quàm corpus, & ita anima bonitatem & pulchritudinem, qua Deus ad amandum hominem justum movetur, melius participat, quàm corpus.

Obj. 3. Si humanitas Christi non sanctificatur summè per Verbum, magis sanctificaretur, si uniretur tribus personis. *Resp. neg. seq.* Nam tres personæ simul non sunt aliquid intensivè melius, sanctius, & amabilius, quàm Verbum solum, adeòque humanitas, solo Verbo unita, tam est intensivè bona, sancta, & amabilis, quàm si esset unita tribus personis. Item divinitas, quæ est sanctitas substantialis humanitatis, tam perfectè communicatur humanitati per unionem hypostaticam cum solo Verbo, quàm communicaretur per unionem hypostaticam cum tribus personis. Ergo tam intensivè sanctificat humanitatem hypostaticè unitam soli Verbo, quàm sanctificaret hypostaticè unitam tribus personis.

ARTICULUS II.

Utrum Christus, ut homo, sanctificetur etiam accidentaliter per gratiam habitalem.

RESPONSIO.

Christus, ut homo, habet gratiam habitalem, ac proinde ut homo, fuit etiam sanctus sanctitate accidentali per gratiam habitalem.

Ita